



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Gvilielmi Becani E Societate Iesv Idyllia Et Elegiae**

**Becanus, Gulielmus**

**Antverpiae, 1655**

Elegia I. Transeamus vsque Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factum est. Lucae 2.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12773**

## ELEGIA I.

*Transamus usque Bethlehem, & videamus  
hoc verbum, quod factum est. Lucæ 2.*



Empora noctis eunt diuini consciæ  
partus.

Quisquis es, ignauo corripe mem-  
bra toro.

Non facit ad somnos hæc nox. ex-  
surgite stratis :

Candidiora die tempora noctis eunt.

Ipsa domus Superum non se tenet: arduus æther

Panditur: Aligerum deserit astra chorus.

Exoritur terris noua lux: ferit aëra cantus

Æthereus: cælum quod solet, audit humus.

Nec vigilamus adhuc: studiis nec tangimur istis?

Nec pudor est, si nos lentior ardor agit?

Stirpe satus nostrâ nostros Deus induit artus.

Gens cæli minus hîc, quòd sibi plaudat, habet.

Este procul segnes: iuuat ire, chorisque beatis

Ininxatum volvi Numinis ante pedes,

Et tanto venerandum ortu lustrare mapale,

Et dare sacratis oscula liminibus.

Salve parua quidem, nec magnis usibus olim

Condita; nunc cælis inuidiosa domus.

Non tibi fulgentes vario stant marmore muri;

Arte laboratum non laqueare nitet.

At, quem non terræ, non terris vastior æther

Contineat, septo clauditur ille tuo.

At tibi naturæ magnus se credidit auctor:

Hæc opere ex toto vindicat antra sibi.

C 4

Nec

## 40 GUILIELMI BECANI

Nec qualem cælo credunt regnare, timentque  
Mortales, talis sub tua tecta venit.

Inde cœlum tonitru, terretque fragoribus orbem :  
Præter vagitus hinc sine voce iacet.

Inde ferit fontes, & noxia fulmina vibrat:  
In te fasciolis brachia vincita tenet.

Aspirat tenerum, quidquid tu cernis, amorem :  
Majestas illic, quo timeatur, habet.

Si beat & Superos, si iugi gaudia cursu,  
Si fontes illic nectaris ire iubet :

Tu, fontes alios, torantia lumina spectas ,  
Primaque diuinis spargeris à lacrymis.

Tu planetus cælum quibus ipsum commouet, audis,  
Vt sua, præque suis vt mala nostra gemat.

Si qualis fuerit semper, quantusque, det illic  
Cernere, cernentes assimilètque sibi:

Tu similem nobis, nisi quod sit egentior, ipsum;  
Tu, nostri quid sit factus amore, vides.

Fortunata domus, quam præ te regia sordent  
Attia ! paupertas quam pretiosa tua est !

Præ foribus tibi nunc intendat aranea casas;  
Pendeat ad crates sordida tela tuas;

Sit nunc, quam stipulae, tibinil opulentius, & quam  
Sparsa pauimento quæ iacet herba tuo :

Tempis erit, gentes ad te cum munera mittant,  
Quas sol exoriens occiduusque videt;

Ipsa caput mundi cum te colat inclyta Roma,  
Et tua præponat montibus antra suis.

Nec fore Iesrides hoc non prænouit, Ephratæ

Hac dum sapè suas ad iuga duxit oves.  
Viderat hos humili suspensos fornice tophos,

Et Domini curis saxa daturâ locum.

O quoties

O quoties illis pia supplex oscula fixit,  
Et sacram flexo poplite pressit humum;  
Quæque suis Numen lacrymis loca spargeret olim,  
Ipse per hæc siccis noluit ire genis!  
O quoties, hoc ne frigus captaret in antro,  
Arcuit exustum solis ab igne gregem!  
Ergò erit, aiebat, desertis Numen ut astris,  
Rupe sub hæc inopis matris alatur ope?  
Arbiter ut rerum nostro de nomine dici,  
Daudisque olim gaudeat esse nepos?  
Fortunata specus, puerum quæ prima videbis  
Quærentem matris colla sinumque suæ,  
Nunc ego te, visent olim populique ducesque,  
Figentur quæ tuo regia labra solo.  
At tu rumpe moras sanguis meus, aspera quamuis  
Hic tibi sint primus saxa futura torus.  
Rumpe moras: nec te terris ostendere differ,  
Sæpè petite mihi, sæpè petende puer.  
Ipsi lætitia voces ad sidera mittent  
Intonsi montes: gestiet omnis ager:  
Fundet humus flores: stillabunt nectare colles,  
Et duræ quercus roscida mella dabunt.  
Audiam, & hæc manes inter me fama beabit,  
Et soluam lætus vota vel inde tibi.  
Dixerat. Audiuit cælo tunc Numen ab alto,  
Exceptum laribus nunc, domus alma, tuis.